

De re Militari.

Articulus Primus.

Qui ex Valachis stipendia merent, Juri militari, ut reliqui nostri stipendiarii in omnibus subsint, et sua munia fideliter obeant, quod et de reliquis intelligendum, qui licet stipendia non habeant, nihilominus militaria munia obeunt et eorum respectu immunitate donati sunt.

Articulus Secundus.

Vayvodae sint militares viri illibatorum morum et vitae integritate praediti, ac quovis suspicionis vitio carentes; si tamen casu quocunque in alicujus criminis genere suspecti haberentur, vel etiam de malefactis accusati forent, causae tales coram Capitaneo vel vice Capitaneo ac suis Officialibus militaribus, inter quos semper aliquot et ad minimum tres vel quatuor Vayvodae sint, examinentur, et prout visum fuerit, rei vel poena merita per eosdem afficiantur, vel ulterius ad Regimen bellicum dirigantur.

Articulus Tertius.

Eadem ratione si Vayvodae quempiam ex suis Haramiis alicuius delicti reum vel accusatum habuerint, id ipsum etiam Capitaneus vel Vice-Capitaneus cum Officialibus militaribus et Vayvodis Judicialiter examinent, et si delictum levius fuerit, in reos pro qualitate animadvertant, in gravioribus autem eosdem ad Regimen transmittant.

Articulus Quartus.

Ita etiam caeterae eiusmodi lites omnes et Controversiae fundos ac alia bona immobilia non concernentes, quae inter vel contra Vayvodas et Haramiales aliosque omnes salarissimos milites motae fuerint, praescripta ratione cognoscantur et dirimantur. Quae autem circa fundos aliasque res immobiles orientur, eae solis Judicibus et Assessoribus subsint decidendae.

Articulus Quintus.

In vayvodarum uti etiam Vexiliferorum aliorumque Officialium demortuorum, vel etiam Judicialiter ab officiis depositorum, loca, alii benemeriti per Communitatem generali commendabuntur.

Articulus Sextus.

Salaria et stipendia a Vayvodis Haramialibus militibus solventur et distribuentur, iuxta modum et consuetudinem antiquam.